

§. 7. *Definitiones* seu explicationes terminorum juridicorum peculiari libello tradendæ sunt, nullis admixtis præceptis seu regulis; hic possit appellari: *Partitiones Juris*. Methodus ejus non sit Alphabetica, sed accurata & solida. Mirum enim quàm in Methodo solida & naturali res rem explicet, & memoria juvetur. Quam in rem commodissimæ sunt *Tabellæ*, quarum ope licet uno obtutu primùm in generali tabula totam scientiæ velut geographicam mappam, deinde verò speciatim singulas quasi provincias lustrare. Hæ Veteribus incognitæ, à *Petro Ramo* ejusque discipulis primùm celebratæ sunt: Magnam quoque in illis diligentiam posuit *Theodorus Zuvingerus* in Ethicis Politicisque, & in Jure *Job. Th. Freigius*; hos innumerabilium aliorum caterva secuta est, sed vix affecuta quod optamus, Methodum, inquam, naturalem. Nam ut rectè *Petro Ramo* Ramistisque objecit incomparabilis *Verulamius*, effecere